

tionis notionem. Sed id ipsum quoque quin negauerim recte fieri in iis sequestrationis formis, quae contractu perficiantur, nec omnem contractum, quo sequestratio suscipiatur, esse depositum, adseruerim, id quoque paucis erit firmandum. Adparet autem id ipsum facile ex iis, quae antea sunt a nobis disputata. Ex contractuum beneficorum enim genere diximus, adcedere hoc loco etiam mandatum in variis caussis, quas supra latius explicui, neque eas hic rependas puto. Ita quoque ex contractibus onerosis locatio et conductio et varia genera contractum, qui proprium nomen non habent, possunt ad sequestrationem transferri, quae omnia supra latius a nobis exposita sunt. Sed in hac re quoque si quis mihi obiiciat, esse haec ita forte a me inuenta, sed nullo vsu, omniaque haec, quium deficit virorum in praxi auctoritas, inutiliter ita tradi, his quoque occurram. Nominabo enim viros, et sua, et nostra aetate celeberrimos, summa etiam in foro nomina, IOANNEM HENNINGIVM BOEHMERVM<sup>g)</sup>, et SAMVELEM STRYCKIVM<sup>h)</sup>), quorum alter diserte fatur, posse et locati et mandati actionem sequestrariam competere, et quandoque actione de dolo, et praescriptis verbis opus esse<sup>i)</sup>, alter vero innuit, vix sine salario sequestris munus aliquem suscipere, eiusque petitionem ipsi concedere doctores<sup>j)</sup>. Sed quid mihi ex hac re praesidii? Audio enim iam alium grauisonantem iratumque ita in me inuehi: Quid haec doctorum nomina? Sint magna, sint illustria, sint celebrata in scholis forisque, non nego, sed leges

G 2

non

g) in succincta expositione doctrinae de i) de quibus actionibus confer COCCEII  
action. Sect. 2. c. 8. §. 26. Ius Controu. Tit. Depositi. quaeſt. 29.

h) de cautelis contract. Sect. 2. c. 3. §. l) nominat ibi CVRTIVM de Sequestrat.  
20. n. 73. qui liber ad manus mihi non est.